

## 2.

Heiligenkreuz, Mon. OCist., Cod. 292. (Hl), ff. 22v–24r, sermo 12<sup>1</sup>  
= Sermones Quinqueecclesienses (SQ), ed. pp. 169–172, sermo 79<sup>2</sup>

[Sermo secundus de sancto Ladislao rege]

(1) (Hl f. 22v) „**Orietur in diebus eius iusticia [et abundancia pacis, donec auferatur luna]**” etc. (*Ps* 71, 7). – Beatus rex Ladizlaus „pietate rex serenus,<sup>3</sup> graciarum donis plenus”<sup>4</sup> fuit, ut dicitur in *Legenda* sua. Cui concordans hec sancta auctoritas ostendit ipsum fuisse iustissimum gubernatorem suorum, potentissimum expugnatorem inimicorum, perseverantissimum operatorem bonorum.

(1.1) Primo ergo commendatur a iusta suorum gubernacione, cum dicitur: „**Orietur**” etc. Nam, ut dicit Philosophus in libro *Moralium dogmatum*: „Temperancia regit homo seipsum, iusticia familiam, civitatem et regnum.”<sup>5</sup> „Iusticia autem”, prout ea reges utuntur, „in duo dividitur,” scilicet

„in severitatem et  
in liberalitatem.”<sup>6</sup>

Nam ut dicit Philosophus in predicto libro: „Hominem, qui convertibilitate nature et libertate<sup>7</sup> licencie infirmus et contumax est, sicut pie gubernare egenum opis oporteret, ita iuste corripere inmoderatum libertatis necesse est.”<sup>8</sup> Inmoderatum itaque libertatis iusticia cohercit severitate. „Nam severitas est virtus debito suppicio cohercens iniuriam.”<sup>9</sup> Egenum vero (Hl f. 23r) opis iusticia adiuvat liberalitate.” „Nam liberalitas est virtus beneficiorum erogatrix, quam eandem pro affectu benignitatem, pro effectu beneficenciam dicimus.”<sup>10</sup>

„Duo autem sunt genera largicionum, quarum:

alia dissipatores facit, quando aliquis pecunias profundit histrionibus et lenonibus.”<sup>11</sup> Sicut dicit Dominus, *Luce* XV, (13): „Dissipavit substanciam suam vivens luxuriose. „Et Aristoteles in *Ethicis*: »Ei, qui habet mores honestos, non dant quicquid. Pecuniam vero multam dant adulatoribus aut per alium modum delectantibus eos, querentibus eas ab ipsis.«<sup>12</sup>

Alia vero liberales facit, quando aliquis suis facultatibus aut captos redimit, aut amicos<sup>13</sup> in filiarum collocacione adiuvat,”<sup>14</sup> aut pauperes sustentat. De quibus fuit ille, qui dixit: „Ego

<sup>1</sup> Heiligenkreuz Cod. 292: sermonarium saec. XIV/1, sermo ipse ca. 1300, originis Hungaricae OP, cf. notam primam sermonis primi. – (Madas–Horváth 2008, 68–78.) – Textum Cod. 292 (Hl), cum necesse erat, ope „Sermonis Quinqueecclesiensis (SQ) corremus.

<sup>2</sup> *Sermones compilati in studio generali Quinqueecclesiensi in regno Hungariae*, ed. Eduardus Petrovich, Paulus Ladislaus Timkovics, Budapest, 1993. (München, Staatsbibliothek, Cod. Lat. 22363b, saec. XV/1.)

<sup>3</sup> SQ rex serenus] Hl strenuus rex

<sup>4</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 517, 10.

<sup>5</sup> Guilelmus de Conchis, *Moralium dogma philosophorum*, c. 50. – PL 171, 1041C.

<sup>6</sup> Cf. Guilelmus de Conchis, *Moralium dogma philosophorum*, c. 12. – PL 171, 1014C.

<sup>7</sup> SQ libertate] Hl liberalitate

<sup>8</sup> Orosius, *Historiae*, lib. 1, c. 1. – PL 31, 671A.

<sup>9</sup> Guilelmus de Conchis, *Moralium dogma philosophorum*, c. 12. – PL 171, 1014C.

<sup>10</sup> Guilelmus de Conchis, *Moralium dogma philosophorum*, c. 13. – PL 171, 1015B.

<sup>11</sup> Cf. Guilelmus de Conchis, *Moralium dogma philosophorum*, c. 16. – PL 171, 1020A.

<sup>12</sup> Aristoteles, *Ethica Nicomachea*, lib. 4, c. 3.

<sup>13</sup> SQ amicos] Hl amicas (!)

<sup>14</sup> Cf. *Moralia dogmata*, c. 16 – PL, 1020A.

et fratres mei commodamus<sup>15</sup> multis pecuniam” *Nee.* V<sup>o</sup> (II *Esdr* 5, 10). „Orta est ergo in diebus eius”

**iusticia** correccioonis peccatorum quantum ad severitatem  
et **iusticia** distribucionis beneficiorum quantum ad liberalitatem.

(1.1.1) In virtute severitatis hec sunt observanda:

(1.1.1.1) Primo, ut iudiciaria potestas indigno et degeneri non committatur, quia dicitur, *Iudic.* nono (28): „Constituit Zebul servum suum principem. Cur ergo serviemus ei?” Claudianus: „Asperius nihil est humili, dum surgit in altum, cuncta ferit, dum cuncta timet; desevit in omnes, ut se posse putent, nec bellua tetrica ulla est, quam servi rabies in libera colla furentis.”<sup>16</sup>

(1.1.1.2) Secundo, ut corrector immunis a culpa habeatur, quia dicit Dominus, *Luce* VI, (42): „Quomodo potes dicere fratri tuo etc. Eice primum” etc. Tullius: „Nullam habet auctoritatem sentencia, ubi qui dampnandus est, dampnat.”<sup>17</sup>

(1.1.1.3) Tercio, ut pene pro qualitate culparum infligantur et non secundum voluntatem iudicis. *Deuter.* 25, (2): „Pro mensura peccati erit et plagarum modus.” Et Oracius in *Sermonibus*: „Non vincet racio, tandem peccet idemque, qui teneros caules alieni fregerit orti et qui nocturnus sacra divum legerit. Assit regula, peccatis que penas irroget equas, ne scutica dignum horribili sectere flagello.”<sup>18</sup>

(1.1.1.4) Quarto, ut modestia verbi et animi servetur in iudicando exemplo Creatoris, *Sap.* XII, (18): „Tu, dominator virtutis, cum tranquilitate iudicas omnia et cum magna reverencia disponis nos.” Philosophus in *Moralibus*: „Obiurgaciones fiunt necessario, in quibus utendum est verborum gravitate, ut eam non videamur irati facere.”<sup>19</sup> „Que enim cum aliqua perturbacione fiunt, nec constanter fieri possunt, nec ab hiis approbari, qui assunt.”<sup>20</sup> Idem: „Cavenda est ira in puniendo, cum qua nemo mediocritatem tenet inter parum et nimium.” Claudianus: „Pro telo geritur, quicquid suggesserit ira.”<sup>21</sup> Iustinianus in *Digestis*: „In cognoscendo excandescere non oportet adversus malos, nec precibus calamitosorum illacrimari. Non est enim constantis iudicis, ut animi motum vultus detegat, sed ita ius reddendum est, ut dignitatem ingenio suo augeat.”<sup>22</sup>

(1.1.2) In execucione liberalitatis hec sunt observanda:

(1.1.2.1) Primo, ut detur cum bona voluntate, quia „ilarem datorem diligit Deus” (2) *Cor.* 9, (7). I *Paral.* ultimo (29, 17): „Letus obtuli universa<sup>23</sup> hec.” Augustinus super *Ps.* XLII, (8): „Qui dat, ut careat tedio interpellantis, non ut reficiat viscera indigentis, et rem perdit et meritum.”<sup>24</sup> Ideo dixit quidam sapiens: „Da facie leta: Sine leticia faciei si dederis, perdes rem meritumque rei.”<sup>25</sup>

(1.1.2.2) Secundo, ut detur absque dilacione. *Prover.* 3, (28): „Ne dicas, cras dabo.” Seneca: „Tantum gracie demis, quantum more adipiscis. Ingratum est beneficium, quod diu inter (Hl f. 23v) manus dantis hesit, quia non tulit gratis, qui cum rogaret, accepit. Nulla enim res carius constat, quam que precibus empta est. Cum in rogante suffunditur rubor. Qui hanc remittit, multiplicat munus suum.”<sup>26</sup>

<sup>15</sup> **SQ** commodavimus] **Hl** commodamus

<sup>16</sup> Claudianus, *Carmina*, (Invectiva in Eutropium), 18, 181–184.

<sup>17</sup> Incerti auctoris

<sup>18</sup> Horatius, *Satura*e, 1, 3, 115–119.

<sup>19</sup> Guilelmus de Conchis, *Moralium dogma*, c. 17. – PL 171, 1020D.

<sup>20</sup> *Moralium dogma*, c. 17. – PL 171, 1021A.

<sup>21</sup> Claudianus, *Carmina minora*, 6, 4. – **SQ** Claudianus: „Pro telo geritur quicquid suggesserit ira.”] **Hl om.**

<sup>22</sup> Iustinianus, *Digesta*, 1, 18, 19, 1.

<sup>23</sup> **SQ** universa] **Hl** omnia

<sup>24</sup> Augustinus, *Enarrationes in Psalmos*. – PL 36, 482.

<sup>25</sup> Walther, Sprichwörter, 4832

<sup>26</sup> Seneca, *De beneficiis*, 2, 5, 2; 2, 1, 1; 2, 1, 4.

(1.1.2.3) Tercio, ut detur de proprio labore. *Prover.* 3, (9): „Honora Dominum de tua substancia.” *Glosa*: „Non de rapinis, quas vi vel fraude rapueris.” *Eph.* 4, (28): „Laboret operando, ut habeat unde tribuat necessitatem pacienti.” Philosophus in *Moralibus*: „Sunt multi cupidi glorie, qui eripiunt aliis, ut aliis largiantur. Sed illud contrarium est officio, id est virtuti. Proinde ea utamur liberalitate, que nemini noceat et prosit amicis.”<sup>27</sup> Quidam eciam patrimonia effundunt inconsulte largiendo. „Sed in tali liberalitate,”<sup>28</sup> quando beneficium maius est facultate, inest cupiditas rapiendi, ut ad<sup>29</sup> largiendum suppetant copie.<sup>30</sup> Cum enim largiendo ceperint egere, aliena rapiunt, et maiora eorum odia assecuntur, quibus ademerunt, quam eorum favores, quibus dederunt.

(1.1.2.4) Quarto ut detur de melioribus substancie. *Numeri* 18, (28 et 32): „Cuncta, que offertis, optima erunt, nec peccabitis pingua<sup>31</sup> vobis reservantes.” *Prover.* 3, (9): „De primiciis frugum tuarum,” id est de melioribus, „da pauperibus.” Oracius in *Epistolis*: „Stultus et insipiens donat, que spernit et odit.”<sup>32</sup> Seneca: „Quod apud te non vis morari, honus iudicas, non munus.”<sup>33</sup>

(1.2) Secundo a potenti inimicorum expugnacione, cum dicitur: „**et abundancia pacis**”, scilicet „**orta est in diebus eius**.” Quam pacem bello acquisivit per victoriam. Fructus enim belli iusti est acquisicio pacis. Philosophus in *Moralibus*: „Ea intencione debemus bella suscipere, ut sine iniuria in pace vivamus.”<sup>34</sup> Stacius: „Sevis pax queritur armis.”<sup>35</sup> Augustinus, XV<sup>36</sup> *De civitate Dei*: „Pacem requirunt laboriosa bella, hanc adipiscitur, que putatur gloria Victoria.”<sup>37</sup> Est autem multiplex pax, scilicet:

Dei,  
mundi,  
diaboli  
et celi.

(1.2.1) De pace Dei dicitur *Phil.* 3 (recte: 4, 7): „Pax Dei, que exsuperat omnem sensum” etc. Hec est:

laudabilis, quia ordinata et ordinem diligit,  
vera, quia neminem fallit,  
munda, quia inquinamenta fugit,  
pudica, quia litigare erubescit,  
eterna, quia finem non habet.

Hec acquiritur:

verbo oracionis. *Ps.* (121, 6): „Rogate, que ad pacem sunt.”

Dono Creatoris. *Isa.* 26, (12): „Domine, da<sup>ij</sup> nobis pacem.” *Io.* 13 (recte: 14, 27): „Pacem meam do vobis.”

Inhabitacione Salvatoris. *Ps.* (75, 3): „In pace factus est locus eius.”

Contemptu rei temporalis. Augustinus: „Proice pecuniam, et eme tibi pacem et cor tranquillum.”<sup>38</sup> Unde cum Dyogeni fur a capite saculum cum nummis nocte subtrahere conaretur et ille sentiret, ait: Tolle, infelix, ut sinas utrosque quiescere.

<sup>27</sup> Cf. Guilelmus de Conchis, *Moralium dogma philosophorum*, c. 13. – PL 171, 1016A.

<sup>28</sup> SQ liberalitate] HI libertate

<sup>29</sup> SQ ad] HI om.

<sup>30</sup> Cf. *Moralium dogma*, c. 13. – PL 171, 1016A.

<sup>31</sup> SQ pingui] HI pingwiora

<sup>32</sup> Horatius, *Epistulae*, 1, 7, 20.

<sup>33</sup> *Moralium dogma*, c. 14. – PL 171, 1019A.

<sup>34</sup> Cf. *Moralium dogma*, c. 33. – PL 171, 1032A.

<sup>35</sup> Statius, *Thebais*, 7, 554.

<sup>36</sup> SQ XV] HI 14

<sup>37</sup> Augustinus, *De civitate Dei*, lib. 15, c. 4.

<sup>38</sup> Citatur: Petrus Cantor, *Verbum abbreviatum*, c. 110. – PL. 205, 295A.

(1.2.2) De pace mundi, id est eorum, qui sunt in mundo, dicitur *Luc.* II,<sup>39</sup> (14): „In terra pax hominibus.” Et hec est hominis in corde et in anima et in utroque et familie et civitatis sive regni. Et quid sit, unaqueque dicit Augustinus *De civitate Dei*:

„Pax corporis est ordinata temperancia parcium.

Pax anime est ordinata accionis cogitationisque consensio.

Pax anime et corporis est ordinata vita et salus animantis.

Pax domus est ordinata concordia imperandi et obediendi.

Pax civitatis est ordinata concordia civium.”<sup>40</sup>

(1.2.3) De pace diaboli dicitur, *Luce* XI, (21): „In pace sunt omnia, que possidet”, quando scilicet nullus peccatorum<sup>41</sup> resilit ab eo. Et hec est destabilis, quia:

inordinata superborum, ut Ade ad Evam, qui plus favit uxori quam Deo.

Simulata proditorum, ut Iude ad Christum, *Matth.* XXVI, (49), et Ioab ad Amasam, (2) *Reg.* 20, (9) *Jer.* IX, (8): „In ore suo loquitur pacem (Hl f. 24r) cum amico et occulte.”

Inquinata luxuriosorum. *Proverb.* VII, (13): „Apprehensum deosculatur iuvenem.”

Venenata hereticorum, quorum intencio est, quis eorum blandissime fallat ad scindendam ecclesiam, sicut Ieroboam scidit regnum Israel, (3) *Reg.* 13.

(1.2.4) De pace celi dicit *Ps.* (147, 14): „Qui posuit fines tuos pacem.” Et hec est:<sup>42</sup>

Vera. Augustinus, 21 *De civitate Dei*: „Vera pax est, ubi nichil adversi, nec a seipso nec ab alio quisque pacietur.”<sup>43</sup>

Firma. Augustinus in libro 73 *questionum*: „Nichil erit in homine, quod resistat spiritui, sed omnia sibimet concorditer iuncta unum aliquid firma pace custodiunt.”<sup>44</sup>

Quieta. *Isa.* 32, (18): „Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiducie, et in requie opulenta.”

Affectuosa. *Ps.* (36, 11) „Delectabuntur in multitudine pacis. Augustinus: „Pax celestis civitatis est concordissima societas fruendi Deo et invicem in Deo.”<sup>45</sup>

(1.3) Tercio commendatur,<sup>46</sup> a finali amborum tencione, cum dicitur: „**donec auferatur luna**” (*Ps* 71, 7), id est mortalitas<sup>47</sup> carnis. Quasi diceret: predicta bona tenuit usque ad mortem, secundum illud dictum Sapientis: „Cepta tene, queso, nec in equore desere navem.”<sup>48</sup> Est pudor inceptam deseruisse viam.” Et quia fuit fidelis perseverando usque ad mortem, ideo dedit ei Deus coronam vite etc.<sup>49</sup>

<sup>39</sup> **SQ** II] **Hl** 1

<sup>40</sup> Augustinus, *De civitate Dei*, lib. 19, c. 13.

<sup>41</sup> **SQ** peccatorum] **Hl** peccator

<sup>42</sup> **SQ** est] **Hl** om.

<sup>43</sup> Augustinus, *De civitate Dei*, lib. 19, c. 20. – PL 41, 648.

<sup>44</sup> Augustinus, *De diversis quaestionibus*, 66, 3. – PL 40, 62–63.

<sup>45</sup> Augustinus, *De civitate Dei*, 19,13.

<sup>46</sup> **SQ** commendatur] **Hl** om.

<sup>47</sup> **SQ** mortalitas] **Hl** immortalitas

<sup>48</sup> Ovidius, *Epistulae ex Ponto*, 2, 7, 83.

<sup>49</sup> **SQ** etc.] **Hl** Rogemus.